



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

12 De petitione hæreditatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

qui impunitum. Nec enim hoc obrinebit in quibuscunque criminibus, sed tamen in illis, quæ adeo atrocia sunt, ut eorum impunitas propter scandalum graue, exemplum in signe, vel suspicionem repetendi sceleris, sit euilibet reipub. & denique totius orbis vniuersali detrimentum allatura.

Decimotertio, illud ab eisdem authoribus in disputationem adducitur, an remissio faciendâ sit à iudice maiori ad minorem. Est etenim exemplum huius quæstionis passim obuium, quoties iudex loci delicti subditus est illi iudici, qui ad remissionem requiritur. Et Oldra. in d. co. s. 123. respondit non teneri hoc in casu iudicem requisitum remittere delinquentem, quia remissio fieri debet à minori ad maiorem, vel à pari ad parem, non autem à maiori ad minorem. *l. ad cognitionem. ff. quibus ex causis in poss. eatur. l. ad principem. ff. de appellat. & in auth. de appellat. in princ. idem notat Chassan. in consuet. Burgun. rub. 12. nu. 16.* quorum opinionem ipse intelligo, ubi iudex hic maior, vel superior poterat alioqui causam iam ceptam à iudice inferiori aduocare ad se ipsum, aut retinere cuiuscunque appellationis occasione. Nam hic iudex cū remissio petitur, vel causam auocabit, vel eandem retinebit, utcunque appellante reo ab inique petita remissione, etiam si æquissime eadem petita fuerit. Hac equidem de re aliquid superius adnotauimus capitulo quarto, quod si iudex hic superior non possit causam apud iudicem inferiorem pendentem auocare, nec eius cognitionem adumere aliter, quam per legitimam appellationem, profecto tenebitur requisitus delinquentem remittere ad locum delicti, quamuis illius loci magistratus inferiores sint, & hunc superiorem habeant. Sic denique in Hispania si delinquens à loco delicti commisi fugerit ad locum, ubi est dux, comes, aut Marchio loci delicti dominus, & iudex ordinarius loci petierit remissionem, non poterit eam negare, nec impedire dux ille, comes, vel Marchio, etiam si superior sit iudicibus ordinariis loci, in quo delictum commissum fuit. Quam opinionem plane probare videtur Iacob. de Bello visu in d. §. contrahentes. nu. 112. & Chassan. in d. rubr. 12. num. 16. quo in loco repetitionem prædictam super §. contrahentes. non tribuit Iacob. à Bello visu, sed cuidam Iordano Bretio, & id fortassis recte. Nā id opus saltē non est illius celebratissimi Iacob. à Bello visu, qui fuit antiquior Bart. Bal. Fabri & Saliceto, quorū omnium sapissime fit mētio in dicta relectione.

Decimoquarto non immerito quæritur, cuius expensis fieri debeat isthæc remissio? & Bald. in cap. nonnulli. colum. 2. de rescript. Iason in l. a duo Pio. §. sententiam. colum. 2. ff. de re iudicat. rursum idem Bal. in cap. 1. §. si iudex de pace tenenda. & Matth. de Affl. in consuet. Neapol. lib. 1. rubr. 41. n. 13. in ea sunt sententia, ut opinentur, has expensas impendendas esse ab ipso accusatore, si is remissionem petierit, vel eo petente fuerit à iudice loci delicti postulata, alioqui ab ipso iudice publico ex ærario præstandæ sunt, qui remissionem petit. Primum deducitur ex argumento locum sepe. Cod. de erogat. milit. anno. vltimum ex l. mulier inops. ff. de cap. & hæc iure communi. At iure Regio extat lex. 2. tit. 17. lib. 8. ordin. qua statutum est, has expensas ministrandas esse ab ipso delinquente, & eius bonis, si bona habeat: alioqui ab ipso accusatore: quod si neuter habeat, vnde possit has suppeditare expensas, tunc præstandæ sunt ex publico ærario illius loci, ubi capitur reus sceleris author. Igitur differt à iure communi regia ordinatio, que expressim tractat de remittendo eo delinquente, qui absens à loco delicti, ab eiusdem loci iudice damnatus fuerit & pronunciatu criminis author. Quod est omnino hæc in re considerandum, ut hinc argumentemur, sitne idem agendum generaliter, quoties remissio fuerit in criminalibus petita.

Decimoquinto superest examinare, si sitne remissioni locus in crimine hæresis? & multis placuit non esse remissionem faciendam, sed posse hæreticum puniri quocunque in loco repertus fuerit, tametsi in eo loco nihil impium vltius fecerit. Quam sententiam veram esse ceter pluribus rationibus Paulus Eleazar. & Cardin. in Clemen. pastoralis. de re iudic. §. denique. & ibi Bonifacius in §. non tam ex superioritate. Gósalus à Villadiego de hæreticis. quæst. 8. ad fin. Guid. Pap. quæ. 202. Iacob. Septimacensis in curia Pintiana regius consiliarius in institutionibus Catholicis, cap. 2. Chassan. in consuet. Burgun. rubr. 12. numer. 17. Quorum sententiam ipse opinor vltius esse aperiendam, ne quis in vniuersum ita eam accipiat, quod iuri, & æquitati læsio fiat. primum etenim, ubi quis Granate crimen hæresis commiserit, & fugerit Valentiam,

ibique in eodem crimine perseuerauit, si nulla fuerit petita remissio à Granatensibus inquisitoribus, dubio procul poterit hic hæreticus puniri Valentiam, atque in hunc tenentem, quæ crimen hæresis etiam Valentiam contrahitur, idcirco mirum non est, quod ibi puniatur, imò profecto iustum, & æquum. Idemque sentit gloss. & fatetur omnes in cap. vlt. commissi. de heret. in 6. Cynus & alij in leg. 1. ad finem. Cod. de summa Trinit. & sile Cathol. Quod si petita fuerit remissio, tunc sane, nisi fallor, ea est faciendâ, cum hic hæreticus Granatæ crimen hæresis perseueret. in hac etenim specie præcipue agitur de puniendâ hæresi, quæ per opus exteriori Granatæ perpetratum in iudicium ecclesiæ incidit. Nec video rationem aliquam efficacem, quæ huic obstat remissioni, si ea petita fuerit. Imo hæc pertinet ad omnes rationes, quæ superius traditæ fuere ad remissionis iustitiam comprobendam. Nec sequitur, hæreticus vbi que puniri potest, quod nos fatemur, ergo non est eius faciendâ remissio, si petatur, hæc etenim collectio falsa est, ut apparet ex his quæ hoc in capite non semel fuere adnotata. Eadem ferè ratione, ubi quis hæresis crimen publicè Granatæ commiserit, isque fugerit Valentiam, ubi occulte idem crimine repetat, isque tendendus, si remissio petatur, ad Inquisitores Granatensium. Quod expressim notant Dom. & Franc. in d. c. vlt. commissi. §. contra illud. ex quibus & illud apparet non esse remissionem faciendam, ubi hæreticus ita palam, & publicè, aut ita occulte utrobique deliquerit. Etenim præferendus erit iudex illius loci, ubi modo capitur. Fit ergo, etiam in crimine hæresis, remissionem faciendam fore, quod notant Petrus & Cynus in l. 1. ad finem. Cod. de summa Trinit. Ioa. Andr. & Anchar. ac Vanchellius in d. cap. vlt. commissi. cum remissio fiat in prædictis duobus casibus, in quibus & alia crimina eodem iure censeantur, frequentius siquidem alioqui rata sit in aliis delictis remissio. Denique hinc apparet, quoniam modo sit accipiendâ opinio eorum, qui censent, in crimine hæresis non esse locum remissionis, quemadmodum placuit Iacob. de Rauennisi in d. l. 1. & his, quos nuncupatum in hac quæstione paulo ante citauimus.

Hæc de remissione sunt satis, ut hinc possit quispiam percipere, quando iudex requisitus teneatur reum aliquis criminis locum delicti remittere.

CAPVT XII.

De petitione hæreditatis expenditur Pauli iuriconsulti locus, forensi exercitationi maxime commodus.

SUMMARIUM.

- 1 Petitiõ hæreditatis est iudicium vniuersale, & iuris quoniam modo præsentanda sit.
- 2 Quæ sit vera ratio, cur petitiõ hæreditatis non datur contra titulum possidentem.
- 3 Petitiõ hæreditatis datur contra possidentem titulo acquisito post mortem testatoris.
- 4 Petitiõ hæreditatis, an datur contra possidentem titulo putatiuo?
- 5 Petitiõ hæreditatis non datur contra possidentem titulo acquisito ab eo, qui poterat petitiõnem hæreditatis conueniri.
- 6 Expenditur vera interpretatiõ Iuriconsulti in leg. 4. ff. de petitiõne hæreditatis.

Iudicium hoc petitionis hæreditatis esse vniuersale scribit Iuriconsultus in l. 1. ff. de rei vendicat. in l. item venditam. §. vlt. & l. sequenti. ff. de petitiõ. hæred. quod licet mixtum sit, partim in rem, partim in personam competens. §. quædam actiones. l. 1. ff. de actioni. l. hæreditatis petitiones. C. de petitiõ. hæred. proprie tamē est in rem, quæ ex parte præcipue ex possessione aduersarij constat. l. sed & si. §. petitiõ. hæred. ff. de petitiõ. hæret. Idcirco in hoc tenent, ut quis declaratur, ac pronuncietur hæres, ad cuius hæreditatem tunc est, vniuersitatem pertinere. leg. ex dicitur. §. 1. ff. de rei vend. Etenim quatenus de ipsa vniuersali actione tractabitur, ius actoris oportet metiri suo proprio iure, nempe an sit hæres, & quæ ex parte sit hæres: quæ vero ex parte de executione huius iudicij agitur, necessum est, quod officio iudicis actori restituatur, quicquid ex hæreditate reus possidet, sicuti traditur in l. licet. ff. de petitiõ. hæred. l. 1. §. 1. ff. si pars hæred. petat. Quæ ratione satis erit libellum iudicis offerre absque vlla re rursus expressa mentione, quo petat quis,

quis, se pronunciarum heredem defuncti, & ad eum illius hereditatem pertinere, damnamque aduersarij ad restitutionem omnium rerum ad hereditatem illam pertinentium. Sic sane ex varijs Iuriconsultorum locis tradidit Bart. Paul. Castr. & alij in l. i. ff. de edendo. Bart. in dicit. leg. decc. Abbas in cap. 2. de lib. ablat. num. 27. Socin. ibi num. 76. text. optimus in l. hereditas. ff. de acquir. hered. l. non possimus. ff. de petitio. heredit. Imola in dicit. cap. 2. adlam. penult. Lanfranc. in cap. quoniam contra. de probationib. in verbo. petitiones. colum. 3. regia l. 26. titul. 2. part. 3. Quamobrem nota huius actionis vim percipit glossa, in dicit. cap. 2. dum scribit, libellum hac in actione ita concipiendum esse, Petentem huiusmodi heredes Sempronij defuncti. Hoc siquidem in hoc iudicio potissimum est, cui consequitur hereditas, & rerum hereditarium restitutio, & ideo non recte petit, qui agens petitione hereditatis ipsam hereditatem petit, nisi prius petierit se pronunciarum heredem, cum ad hoc detur hoc iudicium, ut per iudicis definitionem actor heredes pronuncietur.

Ex his satis deduci poterit, quod sit vera ratio cur petitio hereditatis non detur contra titulum possidentem? quod constat in leg. regulariter. ff. de petit. heredit. cuius interpretationem explicat Iason in l. i. col. 4. C. de inoff. testam. Idem Iason in §. actio. num. in dicit. de actio. num. 218. Nam hoc iudicium in hoc tendit, ut actor pronuncietur heredes defuncti, quod si reus titulum allegauerit, ex quo etiam si actor heredes sit, nihilominus res petita ad eum non pertinebit, profecto non est, cur iudicium petitionis hereditatis amplius examinetur, ac potius erit de rei vindicatione agendum. Quo in iudicio actor probare poterit, se dominum esse rei petite, quia eius dominium, quod defunctus habuit, in eum fuerit translatum, reus vero negabit actorem villo iure rei dominum habere. Igitur quoties non est tractandum, an actor sit heredes, quia hoc reus expresse fatetur hoc agens, & allegans, rem non esse actoris, nec eius fuisse tempore mortis, cuius heredes actor dicitur, actione reali vindicationis, non petitione hereditatis erit agendum. Idem erit, & quoties reus simul duabus vtatur defensionibus nempe quia negat, actorem dominum esse rei petite, vel quia defunctus eius dominium non habuit, nec in eum id transtulit, etiam si vere sit heredes, vel quia etiam si defunctus dominus fuerit, non tamen eius sit heredes actor ipse. Nam & in hoc casu non est agendum, nec tractandum de petitione hereditatis. Quare denique datur aduersus eum, qui suae bona, siue mala fide putat se heredem, & pro herede possidet. l. regulariter. & l. pro herede. ff. de petit. hereditas. Sic sane hac actione agendum erit, vbi tantum id examinandum est, quo ad iudicis definitionem, ut missam eius executionem faciamus, vter sit defuncti heres actor, vel reus, vel an actor hoc ius heredis habeat, etenim vbi praeter questionem istam oporteat tractare, an res, de qua controuertitur, ad defunctum pertinuerit, vel ad eius heredem pertineat, & sic de alio titulo, quam hereditatis, tunc actione reali, & iudicio rei vindicationis est causa peragenda, siquidem is qui titulum praetendit, negat aduersario dominium, & ideo recte tunc competit rei vindicatio. leg. sed si leges. §. quod autem. ff. de hered. petit. leg. heredes. §. quod pro tempore. ff. famul. heres. §. omnium. in dicit. de act. ad finem. Hanc vero rationem explicuit glossa in l. hereditatem. C. in quibus casibus cessat longi tempor. praescriptio. quae satis congrua est, licet Bartol. in l. hereditatis. Cod. de petit. heredit. Idem in dicit. l. pro herede. Ange. in l. Pomponius. ff. de rei vindicatio. Imol. in l. si u. qui bona. ff. de acquir. hered. & alibi passim iuris civilis interpretes ab hac ratione discedentes aliam comminiscuntur, nec satis congruam, nec Iuriconsultorum responsis conuenientem, etiam si Iason in d. §. actio. num. 218. scribat, eam communem esse, ipsamque probauerit, Quid enim obsecro refert ad examinanda litigantium concertationem, & eorum iura expendenda, quod vterque titulum & possessionem alleget, ut tandem hoc in casu non sit locus petitioni hereditatis? Nam & si defunctus possiderit, cum haec possessio in heredem non transferretur, parum virget, ut petitio hereditatis detur contra eum, qui possidet absque titulo pro possessore, vel cum titulo pro herede, actor etenim probare debet semper ius, quod in iudicium deduxerit. Et ideo non interest ad dandam actionem hanc, vel illam, quod titulum alleget, & possessionem, imo potius erit considerandum, de qua re, in iudicio sit examen constituendum, & quid ad iura vtriusque litigatoris expendendum sit perpena petitione agen-

tis. Hoc ipsum manifestius apparbit ex his, quae statim ad apertiores huius controuersie cognitionem palam explicabuntur.

Erit equidem ex praenotatis constituendum agentem petitione hereditatis, vbi vere, & proprie iudicium istud tractabitur, non teneri ad probationem dominij rei petite, id est, non tenebitur hic actor probare defunctum dominum illius rei habuisse tempore mortis, sed satis erit, rem illam in eius hereditatem mansisse. text. celebris in l. & non tantum. ff. de petit. heredit. tradit Bart. in d. l. hereditatis. & est Communis omnium Sententia. Vnde maxime refert agatur rei vindicatione, an petitione hereditatis, siquidem agens actione reali rei vindicationis tehetur probare dominium, alioqui non obtinebit. Extat & aliud leue discrimen, nam reus ab actione rei vindicationis poterit se defendere praescriptione temporis viginti, vel decem annorum, a petitione autem hereditatis non aliter quam triginta annorum praescriptione quod probatur in d. l. hereditatis. Ergo non parui refert, an sit iudicium tractandum super petitione hereditatis, an super rei vindicatione.

Tertio hinc apparet, qua ratione petitio hereditatis detur contra possidentem pro possessore, & sic contra pradonem. leg. regulariter. & leg. pro herede. §. vltimo. & leg. sequent. ff. de petitio. heredit. Etenim cum reus nullum possessionis titulum allegat, sed tantum possessionem ipsam, tunc nihil est inquirendum in eo iudicio amplius quam quod actor sit heredes, nam reo possidente pro possessore hoc tacite negatur. & quod res manserit, ac relicta fuerit in defuncti hereditate, huic equidem examini proprie conuenit hereditatis, petitio. Nec tractandum de dominio ipsius rei, cum reus non dixerit, se rei petite dominum esse, aut dominij titulum habere, ex eoque rem ipsam haecenus possidisse.

Quarto ex his poterit examinari, quod Baldus eleganter scripsit in l. vltim. C. de ed. dicit. Hadr. toll. oppo. 9. dum existimat petitionem hereditatis dari contra possidentem titulo, quae tamen acquisiuit post mortem testatoris defuncti, licet ea non detur contra possidentem titulo ante obitum defuncti, de cuius hereditate agitur, acquisito. Hanc opinionem Bald. probat ex d. l. vltim. vbi constat ex vltima illius constitutionis parte, possessorium, cuius inibi mentio fit, competere aduersus habentem titulum, & eo possidentem, cum tamen sit iudicium illud debilius, quam petitio hereditatis. Idcirco illius edicti iudicium competit contra possidentem ex titulo acquisito post obitum defuncti, sicut & contra hunc competeret petitio hereditatis. Nam alias si petitio hereditatis non daretur contra hunc possessorem, eodem iure negari deberet possessorium illud iudicium, de quo in d. l. vltim. agitur. Sic tandem opinio Bal. admittitur a Barb. in cons. 65. incipit, Clementi. sum. lib. 2. qui late conatur ea defendere. Et tamen contrarium aduersus Bald. probare conatur Salyc. Alexand. Iacob. Paul. Castr. & Iaf. in d. l. vltim. ad fin. Idem Iaf. in d. §. actio. num. 218. & ibi Ang. num. 68. Alex. in cons. 73. li. 5. qui eandem opinionem Bald. affueerat communi omnium consensu improbatam esse, in consil. 184. & consil. 186. eodem lib. vbiq. communem hanc opinionem secutus. Sic & Ang. Aret. in §. sed iste. de actio. num. 13. fatetur communem opinionem, quam ipse probat, esse contra Bald. & licet Curt. Iun. dubius tamen tentauerit sententiam Bald. tueri, nihilominus aduersus Bald. est optim. text. in l. 2. §. vltim. in d. l. hereditatis. C. de petit. heredit. Ex quo deducitur discrimen elegans, & insigne in hac materia inter Emptorem hereditatis, & emptorem rerum singularium. Emptor enim hereditatis tenetur, ac conueniri poterit petitione hereditatis, emptor autem rerum singularium actione reali rei vindicationis & tamen, ut differentia sit apta, praemittendum est, emptorem singularium post mortem defuncti testatoris emisse, titulumque habuisse, cum alioqui admodum incongrua & inepta esset collatio vtriusque temporis. His accedit text. in l. etiam. §. i. ff. de petit. heredit. vbi datur petitio hereditatis contra emptorem hereditatis, quibusdam casibus, quae semper danda foret, si vera esset Bal. sententia, cum hic titulum post mortem defuncti acquisierit. Sic & aduersus opin. Bald. virget ratio, quam adduximus ad probandam iuris regulam, quae docet, petitionem hereditatis non esse dandam contra titulum possidentem. Is etenim, qui titulo possidet, siue eum habuerit ante obitum defuncti, siue post eius mortem, non negat actoris esse heredem, sed contendit eum etiam, si heres sit, non esse dominum rei petite, & in hoc titulum allegat. Et ideo agendum

erit de dominio rei, an sit penes actorem, vel reum, non de ea qua actione, an actor hæres sit per sententiã pronuciandus. Quod quidem iudicium actione reali, & sic rei vindicationis erit definiendum, quemadmodum paulo ante probauimus. Sed contra Baldo est optima gl. in l. pen. & vlt. ff. pro legato. Nec suffragatur Baldo. text. in d. l. leg. vlt. qui iuxta glo. ibi, in verbo principale, ita est intelligendus, vt cum petitio hereditatis detur contra titulum possidentem, tunc ea excludatur de eadem anorum præscriptione. At quoties detur contra possidentem pro herede, vel pro possessore, tollitur triginta annorum tempore, quam interpretationem sequuntur Barto. Cyn. & Alexand. ibi, quæ tamen ex eo non placet, quod rursus in idem incidamus dubium, cur detur inibi petitio hereditatis, seu interdictum illud contra titulum possidentem. Quam obrem ipse aliter accipio, quod in d. l. vlt. decisum extat, & fateor, interdictum illud possessori dari contra titulum possidentem, etiam si petitio hereditatis minime nunc daretur. Nec video, qua ratione possit congrue deduci argumentatio ista; Non datur petitio hereditatis, ergo, nec interdictum possessorium. Cum hæc sint duo iudicia admodum distincta, nempe iudicium proprietatis, & possessionis. Naturaliter, §. nihil commune. ff. de acquirend. poss. imo hic argumentationis modus facillime resoluitur ex leg. is qui destinari. ff. de rei vendi. & his quæ notantur per Bartol. in l. in rem alienam. ff. de pigno. solum. 3. si etenim in d. l. leg. vltim. detur illud interdictum possessorium contra titulum possidentem, non ex hoc sequitur dari contra eundem petitionem hereditatis, quam interpretationem Alexander longius probat in d. l. consil. 73. l. 5. & probatur, quia iudicium illud possessorium, quoad summariam cognitionem datur pro bonis, quæ defunctus tempore mortis possidebat, nec impeditur eius cognitio etiam si reo allegetur, & probetur titulus simul cum possessione, tamen si actor non obinebit in eo iudicio, si ex summaria vtrunque recepta probatione constiterit, vel defunctum eam rem non possedisse tempore mortis, vel reum eius dominium habere, etiam si possessio tempore mortis penes defunctum fuerit, quemadmodum in d. l. vlt. omnes frequentiori consensu tradidit. At in petitione hereditatis iudicium impeditur, si probetur titulus, qui verè sufficiens est ad translationem dominij, vel vfucapiendi conditione, iuxta ea, quæ notantur in d. l. vlt. Cod. de edict. diu. Hadr. toll. per Alex. & Iason. col. vlt. Nam licet ipse Alexand. & Iason, & idem Iason in d. §. actio. num. 222. affererent, Communi opinione receptum esse, quod licet titulus putatiuus alioqui sufficiat ad vfucapionem, non tamè impedit iudicium petitionis hereditatis. Quam opinionem tenet gloss. in d. l. vltim. C. de edict. diu. Hadr. toll. ad fin. & ibi Bald. 15. opposit. Iacob. & Fulg. col. vlt. rursus idem Iason in l. 1. C. de iustic. testam. num. 10. gloss. & Bart. in l. Iulianus. in princip. ff. quibus ex caus. maior. gloss. in l. 1. in princip. & ibi Bartol. ff. quorum bonor. & gloss. in l. hereditatem. C. in quib. caus. cessat longi tempo. scriptio. & eandem opinionem sequatur, & existimet communè esse Curt. Iun. in d. l. vlt. num. 21. ipse vero contrariam sententiam veriorè esse opinor, ideo arbitror iudicium petitionis hereditatis impediri, si reus possideat titulum singulari, qui propter iustum errorè sufficiat ad vfucapionem rei petita. Hanc sententiã primò mihi satis probat text. in l. nec vlt. §. 1. ff. de petition. hered. ex quo deducitur, petitionem hereditatis dari contra eum, qui titulum possideat, modo titulus is accedat ad titulum pro possessore, qui omnino mala fide ab ipso reo allegatur, qui vere non alia ex causa possidet, quam quod sciens, rem alienam esse, & à se ipso mala fide titulum profusus nullo possideri, ipsam habeat occupatam. Igitur quoties hæc exceptio deficiat, & reus rem petitam bona fide possideat, titulumq; habeat sufficientem ad vfucapionem, ita quidem, vt iusto errore ductus existimet, rem ad se pertinere, tunc plane regulam sequemur, quæ dicit petitionem hereditatis non dari contra titulum possidentem. Secundo vrget amplius & hic Iuriconsulti locus, nam is dicitur pro possessore possidere, qui vt prædo possidet textus optim. in l. pro herede. §. vlt. & l. nec vltim. in princ. ff. de petit. hered. Sed titulus inualidus & nullus, tunc non impedit petitionem hereditatis, cum eodè iure censetur, quo titulus pro possessore, sicuti probatur in d. l. nec vltim. §. 1. ergo cū titulus sufficiens ad vfucapionem non constituat possessorem prædonem, nec possit dici titulus pro possessore, impeditur ex regula iuris petitionem hereditatis. Tertio, vt quorundam ratione excutiamus, oportet animaduertere ita à Iuriscòsulto in d. l. nec vlt. §. 1. requiri in possessore scientiam iniusti tituli, vt nequaquam

possit congrue dici, per sensum à contrario inibi probari, petitionem hereditatis non dari contra possidentem, eo scilicet ter requirens in breui responso scientiam iniusti tituli, & sic malam fidem non leui iudicio id requirit, responditur idem, si possessor ignorantiam habuerit iniqui tituli, sed serio id exigit vt plane contrarium habuerit iniqui esset, imo iam ipse respondit, vbi possessor ignorans foret ea quidem ignorantia, quæ non impediret vfucapionem. Quarto, nostram hanc sententiã apertissime tenet gloss. in d. leg. nec vltim. §. 1. in verbo sciens. gloss. item in l. penultim. & vlt. ff. pro legato. Quas expressim ad miserè Alexand. Angel. Arch. tin. Iason, & alij qui aduersus Bal. opinionem scripserunt, quos non probamus, probauerunt Cynus col. 1. Corne. col. 1. in d. l. vltim. Cod. de edict. diu. Hadr. toll. Paul. Castren. in d. leg. vltim. §. 1. Nec video quid constanter vrget in contrarium, cum Barto. post gloss. in d. l. Iulianus. tractauerit de titulo vtriuscuius iudicium petitionis hereditatis. Deinde & aduersus gloss. in d. leg. vltim. profectio satis perstringit ratio, quam primò in initio huius capituli siquidem statim, quod à reo conuenio, petitione hereditatis allegatur & probatur titulus, non est cur iudicio hereditatis petitionis definitur ea causa & controuersia, imo conuenit, quod titulus examinetur in iudicio singulari rei vindicationis. Non negauerim opinionem gloss. in d. l. vltim. C. de edict. diu. Hadr. toll. frequentiori Doctorum iudicio probatam esse, tamen nihilominus contendam: eam nec satis æquam esse, nec alicubi in iure Probari. Quoties equidem agendum est de dominio rei petita, non autem de vniuersali tituli hereditatis iure, nempe, an actor hæres sit, vel reus, non iudicio hereditatis petitionis, sed rei vindicatione erit examinanda ea controuersia. Sic denique constat ex prenotatis, sitne vera Bal. opinio in d. l. vlt. C. de edict. diu. Hadr. toll.

Quinto si ad amissim expendamus rationem veram, & propriam, cur petitio hereditatis non detur contra titulum possidentem, plane constabit, sitne verum quod scripsit Bartolus in l. legi. Cod. de petit. hereditatis. asserens, petitionem hereditatis dari contra titulum possidentem, quando restitutum habuit ab illo, qui poterat iudicio petitionis hereditatis conueniri, & ad examen foreNSE vocari. Idem repetit Bartolus in leg. si rem & pretium. ff. de petit. hereditatis. in princip. Paul. de Castro, in leg. vlt. Cod. de edict. diu. Hadr. toll. Angel. & Imol. in leg. si quis qui bonis. ff. de acquirend. hered. Iason. in l. 1. Cod. de iustic. testam. num. 10. Sed contrarium eidem Bartol. placuit in l. 3. §. 1. de aliena. iudic. mutan. caus. fact. vbi probat, in hac specie & similibus, petitionem hereditatis non dari contra possidentem titulum, acq. fito ab illo, qui poterat petitione hereditatis ad iudicium vocari, licet detur actio in factum aduersus hunc qui poterat petitione hereditatis conueniri, quia iniquè & dolo fecit, ne aduersus eum petitio hereditatis daretur, quam opinionem sequitur Iason. in d. §. actio. num. 220. Idem Iason. §. sed iste. eodem tit. 25. Quid enim obsecro refert ad dandam petitionem hereditatis quod reus, qui titulo bona fide possidet, hunc titulum habuerit ab eo, contra quem poterat dari petitio hereditatis? Etenim hic reus titulo possidet, & ideo iuxta regulam iuris non est per petitionem hereditatis ad iudicium vocandus. Quam obrem opinor veriorè esse hanc vltimam sententiam. Nam & opinio Bart. in d. legi. est accipienda eo casu, quo titulus hic pendente lite acquiritur, & procuratur, sicuti ex ipso Barto. deducitur à multis, præsertim ab Angelo in d. §. actio. num. 68. atque hæc sane sufficiat quo ad tituli materiam in petitione hereditatis tractandam, cætera siquidem poterunt peti à Iason. in d. §. omnium. & in d. l. 1. Cod. de iustic. testam. quo in locis refert Cepolam in Cauela 133. scripsisse, petitionem hereditatis non competere contra emptorem totius, vel quotz hereditatis vbi bona fide est emptio facta, si petitio proponatur ad ipsum vniuersum, nempe ad hereditatem, vel quotam hereditatis partem, dari autem hanc petitionem ad res ipsas singulares ipsius hereditatis ea quidem ratione, quod reus hic totam hereditatem vel eius partem quotam possideat titulo iusto, nempe emptionis, non sic res regulares, quas non videtur titulo emptionis possidere. Nam is qui vendit hereditatem non tenetur de euitatione pro rebus singularibus ipsius hereditatis. l. 2. in princip. ff. de heredit. vel actio. vendi. l. 1. C. de euit. Ergo non censentur res singulares

gularis titulo emptionis possideri. Iason tamen dubius est, an hæc opinio Bartholomæi Capole sit vera, & eam fallant esse cenet Carol. Molin. in consuetud. Paris. tit. 1. §. 23. num. 35. quem nos hæc in parte sequimur libenter. Datur siquidem frequenter petitio hereditatis contra emptorē hereditatis vel eius quotæ iuxta distinctionem Iuriconsulti in l. etiam. §. quod si quis. ff. de petitione hereditatis, & l. secunda. C. eod. tit. & quoties ita datur, dubio procul competit, etiam pro rebus vniuersalibus, at vbi nō datur petitio hereditatis contra hunc emptorem, profecto non dabitur contra eum, nec pro rebus singularibus, quas titulo emptionis certe possidet, cum inspecto euentu, & effectu cenentur vendi res ista vniuersales, quæ sub hereditate vendita continentur. Nec possit quis negare, in his rebus emptorem dici possessorē cum titulo, qui possit eas legitimo tempore præscribere, secundum ea quæ traduntur in d. l. 2. Cod. de petitione hereditatis vniuers. etenim censentur res omnes sub vniuersitate illa hereditatis comprehensæ, atque ideo non potest iure optimo defendi quod Capola in dicta cautela 133. insigniter adnotauit.

Sexto ex prænotatis deducitur vera interpretatio in Pauli Iuriconsulti locum, qui extat sub rubr. de petit. hereditatis. leg. 4. ita inquit: Si hereditatem petam ab eo, qui vnam rem possidet, de qua sola controversia erat, etiam id, quod postea petens cepit, restituet. Hæc tenus Iuriscōsultus. Quidam etenim adhuc serio, & non leuiter expensio Iuriconsulti loco existimarūt. quod proposita petitione hereditatis, si in libello sit certa res expressim, & nominatim petita, non poterit alia res in id iudicium deduci. Quam opinionē probant, & sequuntur Panorm. numer. 25. Fel. in versic. sexta conclusio in cap. 2. de libro oblatio. Alexand. col. 2. & ibi Ias. in l. edita. C. de edictis. Quibus suffragatur glo. in d. l. 4. dum exponit verba illa, De qua sola, id est, propter quam solum, quasi velit Accurs. illud Pauli responsum procedere, vbi actum est vniuersaliter petitione hereditatis, & petierit actor se declarari heredem, & sibi restitui vniuersam hereditatem, & tamen ea petitio facta est propter vnam solum rem, quam tempore motæ litis reus possidebat. Nam si actor petisset se heredem esse, pronunciarī, & sibi restitui vnam tantum rem, quam reus possidebat, tunc plane nō erit reus cogendus restituere res, quas post motam litem cepit possidere. Huic etiam interpretationi accedit opinio Bart. qui in d. l. edita. col. 2. ita scribit, Si poneremus esse actum petitione hereditatis singulariter ad vnam rem, non posset fieri emendatio, vel alia editio alicuius rei post litem contestatā, sicuti in aliis singularibus iudiciis. His equidē verbis Bart. probare videtur intellectū, quem ex Panorm. constitimus ad Iuriconsulti locum, quem itidem sequitur, & admittit Marian. Socin. in d. cap. 2. de libel. oblatio. num. 139. Illud tamen admonere oportet, ne quis existimet Alex. ita simpliciter hæc opinionem probasse, quod ipsemet, Alex. Bar. Soc. & Iacob. et. in d. l. edita. existimant, etiam si vera sit opinio Panorm. eam procedere, quo ad condemnationem, non tamen quo ad executionem. Nam & si in sententia omnia foret condemnatio circa restitutionem aliarum rerum, quam omitti iure oporteret, vt censet Alexand. posset in executione fieri aliarum restitutio, in quo Iason & Felin. contrariū prænotare videntur, & horum opinio tunc admitti deberet, cū esset ante sententiam petitio condemnatio, & restitutio aliarum rerum post litis contestationem, & in sententia tantū esse facta mentio, & condemnatio restitutionis illius rei, quæ ab initio fuerat iudicio vniuersali petita. Nihilominus opinio Panorm. pluribus displicuit. Nam auctoritate Iuriconsulti in d. l. 4. contrariam veriorē esse opinantur Anton. col. 7. Imola & Barb. col. pen. in d. cap. 2. de libel. oblatio. Fulgos. Riminal. Aret. Socin. col. 3. De c. num. 25. Aleciat. & Curt. Iunior. num. 64. & Purpurat. num. 25. in d. l. edita. quorum opinio magis Communis est, & probatur in d. l. 4. & item ex eo, quod in hoc iudicio sit satis petitio sufficiens, si actor petat se pronunciarī heredem, cui petitioni accedit officio iudicis rerum omnium restitutio, si petitor obtinuerit, sicuti in initio huius capitis probauimus. Igitur hanc opinionē secuti censuimus, proposita petitione hereditatis, vt ea proponenda est, ac præmissa libello, quo quis petit, se pronunciarī heredem, etiam si petierit vnius tantum rei, quam reus tempore motæ litis possidebat, restitutionem, nihilominus posse reū cogi per sententiam, & per iudicis executionis officium ad restitutionem omnium aliarum, quas lite pendente cepit reus possidere.

Nec huic sententiæ oberit Bartol. opinio d. l. edita. potest enim hunc sensum habere, vt sit intelligenda, quando heres institutus in re certa, petitione hereditatis in iudicium deduxerit eam proponens tanquam vere institutus in re certa, petens se talem heredem pronunciarī, eique eandem rem certam restitui, vt heredi in ea re solum instituit. Non enim poterit post litis contestationem in hoc iudicio petere aliam rem, nec se pronunciarī heredem in aliis rebus, aut, ad alias res consequendas. Sic etenim Bartoli verba intellexit Philippus Corneus in consil. 148. lib. 4. erit vero fortassis & hic optimus sensus, ne opinemur Bartol. contrarium Iuriconsulto in d. l. 4. sed & Barthol. Socin. colum. 3. existimat in d. l. edita. posse aliter accipi Bartol. opinionem, vt ipse voluerit, non posse post litem contestatam aliam rem in iudicium deduci, quoties actor non egit petitione hereditatis, sed petit rem quandam sibi vt heredi Sempronij restitui. Poterit, ni fallor, Bartoli distinctio, & hunc sensum pati, vt in iudiciis vniuersalibus vbi actum sit vniuersaliter nulla re expressim petita, superflua sit alicuius rei mutatio, aut additio, cum omnes res veniant absque aliqua rerum additione in hoc iudicium ex natura actionis, at si actum fuerit vniuersali iudicio ad vnam tantum rem, non possit fieri mutatio, nec additio alterius rei ad hunc effectum, quod iure mutationis, vel additionis de his rebus in iudicio tractetur, non tamen ex hoc negat Bartolus, posse ex natura actionis has res additas in hoc ipsum iudicium venire, tamen ratione mutationis, vel additionis, minime veniant propter particularem modum agendi. Qua de re amplius cogitare licet.

CAPVT XIII.

Quid sit præcipue obseruandum, vbi qui nō dum litigauit, litis & causæ examini se offerat, quem tertium oppositorem dicimus.

S Y M M A R I A.

- 1 Tertius oppositor, & litis defensor ad coadiuandum admittitur, adsumere debet litem in eo statu quo erat.
- 2 Tertius oppositor ad coadiuandum non potest post publicationem, & conclusionem, testes producere.
- 3 Intellectus leg. si suspensa ff. de inoffic. & an procedat illud responsum ignorantibus Legatariis.
- 4 Res inter alios acta in iudicio, alii præiudicat, & prædesti quoad quandam presumptionem.
- 5 Sententia inter alios dicta plerumque ex propria vi, & natura nocet, & prodest omnino alii, & ibi late intellectus Iungensium ff. de statu homi.
- 6 Sententia lata super Primogenio cum legitimo contradicere, an alius noceat.
- 7 Traditur late interpretatio text. in l. sepe ff. de re iudic. in verb. scilicet scientibus.
- 8 Intellectus ad text. in cap. penult. de re iudic.
- 9 Intellectus ad text. in d. l. sepe. ver. nam est libertus. & inibi an sententia lata contra vniuersum, præiudicat domino scienti.

Sæpissime contingit duobus in iudicio litigantibus tertium quandam litis, & causæ examini seipsum opponere, & offerre. Etenim vult hic tertius causam, vel professi, vel defendere. quod multis modis accidere potest. Quorum aliquot nos hoc in loco examinabimus ea ex causa, quod passim viderimus de hac re in supremis Regis tribunalibus satis controuerti. Illud vero receptum est, diuque obtinuit, hunc tertium, qui se liti opponit, admittendum esse hoc sane modo, vt quoties in litem adsumat ad coadiuandum reum, vel actorem, vtque ei adfuit, tunc in eo statu causam prosequatur, quo prosequatur ipse principalis. At si ad iudicium accesserit hic tertius non ad coadiuandum alium, sed ad excludendum vtrumque à rebus vel à iuribus de quibus agitur, eo quidem casu admittitur hic ad causam agendam ab initio, ita quidem ac si ab alio cepta nō esset, omniaque sunt cum hoc repetenda, nec teneur hic tertius causam in eo statu adsumere, quo ea quidem erat inter ipsos duos, cui medius hic accedit, tempore oppositionis. Hæc distinctio summa denique est totius huius tractatus, & tamen habet adeo dubias, & frequentes quæstiones, vt operæ pretium sit eam explicare paulo diligentius, maxime ad veram interpretationem eorum, quæ Bartolus, Innocentius & alij hæc de re hæc tenus tradidere.

Prior